



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Anselmus Episc. Bellicensis 26. Iunij

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

EXEMPLVM S. ANTHELMI CARTHV-
siani & Episcopi Bellicensis 26. Iunij
SvV. Tom. 3.

B Anthelmo celsa progenie edito id à te-
neris vnguiculis præcipuè curæ fuit,
quomodo perfectam Deo seruitutem, carnali
nobilitate posthabita exhiberet. Diuina au-
tem prouidentia ita disponente, adhuc puer à
parentibus sacris literis traditus est imbuen-
dus. Postquam vero adoleuit, cum egregia in-
dole, tantam cælitus consecutus est gratiam, vt *Morum*
ab omnibus ob honestatem morum apprimè *honestæ.*
diligenteretur. At deinceps parum cautè tanta
gratiarum vsus affluentia, paulatim arridentis
seculi huius blandimentis allici cœpit, ad eò
vt rebus omnibus ad votum mirificè fluenti-
bus tandem abreptus sit: ac seuerioris discipli-
næ oblitus, in Gebennensem & Bellicentem
ecclesias magnis opibus & honoribus auctus *Vanitate*
concesserit. In Gebennensi enim Ecclesia *seculi ab-*
Præpositus & Secretarius, in Bellicensi vero *ripitur.*
Secretarius creatus est: quas ille dignitates in
illis Ecclesijs præcipuas, magna cum laude ad-
ministrabat, ita vt prouectioris ætatis viris &
grauissimis senibus longè anteferretur. Cum-
que multæ ei essent facultates, nam id ei stu-
dio fuit, vt opes colligeret & coacervaret, sed
vt liberaliter & honestè eas expenderet. De-
lectabatur enim fauoribus & laudibus homi-
num, vt solent illi, qui in pretio haberi vo-
lunt. Prætereuntes vel aduentantes illustres

T 3 viros,

*Castitas.**Delectatur
condu-
bernio reli-
gioforum.*

viros, tam religiosos quam seculares, reuerenter arripiens, adeoque pertrahens honorifice tractabat, & obsequia opportuna officiosissime exhibebat: animumque erga pauperes piuum ac benignum ostendebat. Quamuis vero vanis hisce caducisque rebus esset implicatus, tum moperere tamen cauebat, ne quid flagitiose, impurè aut turpiter admitteret. Itaque cum adolescentiæ flore in magna mundi vanitate consumpto, diuina eum bonitas in rectum salutis iter reuocare vellet, cœpit religiosorum hominum & imprimis Carthusiensium loca inuisere: vitamque eorum non tam conuersionis desiderio, quam animi quadam curiositate diligenter explorare. Interim cum suauitate eorum paulatim afficeretur, fratres illos frequentius adiit, eorumque domicilia, & cætera omnia diligentius perlustrans, sermones etiam de rebus diuinis instituebat. Tum vero fratres, qui ad illum usque diem vanitati eius nonnihil indulserant, vt sensere eius animum emollitum, tempus nacti opportunum, de contemptu mundi sermones conferunt, hortanturque vt exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, & pro sempiternis fluxa & caduca contemnere ne dubitet. Quid multa? Diuini timoris spiritu excitatus, consilij & fortitudinis spiritu confirmatus, omnibus quæ mundi sunt protinus ex animo abdicatis, totum se diuino cultui & seruituti addixit: & in Carthusia quam Portarum vocant, monasti-

co eius Ordinis habitu hilariter suscepto,
Christianæ militiæ nomen dedit.

I V L I V S.

ADOLESCENTIA S. GALLI A R V E R -
norum Episcopi 1. Iulij Sur. Tom. 4.

S Gallus Aruernorum Antistes à stirpe Ve-
stij Pagati martyris apud Lugdunum ce-
leberrimi descendens, Georgio & Leocadia
parentibus inter Gallos lógè nobilissimis na-
tus est. Huic pater illustrem genere virginem,
vt partam magna virtute gloriam & generis
dignitatem longius propagaret despòdere co-
gitabat. At Gallus perspecto parentis consilio, *Castitas.*
cum iam pridem facibus diuini amoris mira-
biliter incēsus, de sanctiore quopiam vitæ ge-
nere cogitaret, assumpto secum vno puerulo,
ad Cremonense monasterium, sexto ab Aruer-
na vrbe milliario situm profectus, monasticæ
vitæ institutum feruēter arripuit. Abbas vero
perspecta pueri prudentia & formæ ac morum
elegantia, primum ad parentem percontatum
milit, vt quid filio suo fieri velit renunci-
et. Qui parumper contristatus: Primogenitum;
inquit, meum coniugio potius destinâram, si
tamē suo illum Deus dignatur seruitio nolim
volūtati eius refragari. Abbas igitur de parētis
factus beneplacito certior, puerum inter cle-
ricos cooptauit, Erat vero egregia castitate, &
moderatione animi, & velut p̄fecta ætate vir

T 4 àiocis